loquia et aspectus, que multis occasio sunt ruine,
sollicite evitari iubebat, asserens per huiusmodi
debilem frangi et fortem sepe spiritum infirmari. Harum
contagionem evadere conversantem cum eis nisi pro-
batissimum virum tam facile dixit quam iuxta
scripturam in igne ambulare et non comburere plan-
tas. Siquidem ipse adeo averterat oculos suos
ne huiusmodi vanitatem viderent quod sicut aliquando
socio dixit quasi nullam recognoscebat in facie.
Non enim securum esse putabat earum formarum intror-
sus haurire ymagines, que possunt aut edomi-
te carnis resuscitare igniculum aut pudice
mentis maculare nitorem. Asserebat etiam fri-
volum esse mulieris colloquium excepta sola con-
fessione vel instructione brevissima iuxta quod
et saluti expedit et congruit honestati. Que sunt
enim religioso cum muliere tractanda negocia
nisi cum sanctam penitentiam vel melioris vite con-
silium religiosa peticione deposcit. Ex nimia
securitate minus cavetur hostis et diabolus si de
suo capillum potest habere in homine cito excrescere
facit in trabem. Ocium autem omnium malarum

License: CC-BY-NC – Luzern, Provinzarchiv Schweizer Kapuziner Luzern, PAL L, f. 28v – Bonaventura, Legenda maior s. Francisci . Vita beati Antonii (http://www.e-codices.ch/en/pal/L/28v)